



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

Iesus fugientibus à se discipulis est derelictus Art, & Hom. XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

Vinculis quibusnam mysticis quisq; ligare sese debeat.

Ligatum tui causâ Dominum videns, caue ne iterum te in vincula, hoc est, in peccata conijcias, porius autē vinculis charitatis Domino Iesu astringi peras. Liga temetipsum funibus præceptorum Dei, liga temetipsum nexibus charitatis, ne proximo facias quod tibi nolis fieri. Nihil ad eò tenet hominem, ne perperam quid agat, nec prohibitum transgrediatur, quam charitas. Liga linguam tuam, cum illius habeas potestatem, ne ad detractoria, ne ad contumeliosa, ne ad scurrila denique laxetur verba. Lege apostolum Iacobum, quam vile sit membrum lingua, si bene regatur, hoc est, si sub freno diuini timoris & silentij funibus restricta arceatur, quod religiosi faciunt boni: quam validum item pestiferumq; sit malum, si liberum relinquatur. Nobilissimum tamen omnium est vinculorum charitas. O felicem, qui hoc vinculo Christo est alligatus. Hoc putamus vinculo alligatum Paulum, quando dicebat: *Quis nos separabit à charitate Christi & tribulatio & an angustia &c.* Et infra: *Certus sum enim, quod neque mors, neque vita, &c. neque creatura aliqua poterit nos separare à Charitate Dei, que est in Christo Iesu.* Hoc funiculo Agnes beatissima Christo suo fuit sponso alligata, vnde nullis muneribus, nullis promissis, non minis, non pœnis denique, vt præfecti filium respiceret, poterat auelli. His funibus Lucia sanctissima erat alligata, quæ multis boum paribus à loco, vbi Christo hærebat, ad lupanar non poterat abduci. His funibus pij ligauerunt se religiosi, puta obedientiæ, castitatis, atque voluntariæ paupertatis, quibus constructi, in multijugi virtutum operatione Christo semper coherent.

Funibus quibusdam seipsum mysticè ligare debet homo. Iacob. 3.

Vinculorum omnium nobilissimum esse charitatem. Rom. 8. S. Agnes.

B. Lucia. Funiculo triplici bonos religiosos Christo esse alligatos.

IESVS FUGIENTIBVS A SE DISCIPVLIS, est derelictus. Articulus XIII.

Marc 14.

Tunc (scilicet comprehenso Iesu) discipuli relicto eo, omnes fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur illum, amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille relicta sindone, nudus profugit ab eis.

HOMILIA XIII.

Fuga discipulorum cur Christo fuerit dolorosa. Iob. 19. Psalm. 37.

Ivxta hunc locum nulli esse dubium debet, Christo discipulorum fugam non leuiter fuisse pœnosam, de qua inter dolores suos singulariter etiam est conquestus in Iob: *Fratres meos longè fecisti à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me.* Item, *Elongasti à me amicum & proximum, & notos meos à miseria.* Quomodo enim Christo fuga atque recessio discipulorum, qui erant etiam filij sui, amici, & charissimi quos post matrem suam habebat in mundo, non fuisset dolorosa? Non tamen ideo fuit Christi cordi pœnosa, quasi discipulis eguerit, aut quod solatio aliquo oprato propter illos priuatus sit: quin potius quia illos amabat, illis benefacere studebat, doluit pro illorum scandalo, doluit ipsorum infirmitatem, doluit illorum dolorem, quia scieuit eos dolentes atque orbatos magistro, in tristitia versari. Fuit tamen præterea quod ad iudicium humanum, & in hominum oculis, narrabatur quoque probrosum Christo, quod ab illo discipuli quoque ipsius recesserant. Considerandum iterum, quod licet Petrus postea sequutus fuerit à longe, & Ioannes sub

cruce steterit, in principio tamē fugerunt simul omnes. Considerandum quoque tertio, quod de adolescente hic refertur, nesciri quis fuerit. Alij enim Ioannem, alij Iacobum, alij quendam ex domo ubi Christus coenauerat, tradunt fuisse. Condoledum quarto discipulorum est tristitia, qui fugerant à Domino, à magistro, à patre, à charissimoque quem habebant in mundo, & cuius amore tam parentes, quam vniuersa quæ vel habebant, vel habere poterant, reliquerant: ideo iam ambulabant tanquam oues sine pastore, expositi periculis & aduersitatibus multis. Erant enim sicut orphani & pupilli.

Mysticè quoniam fugiatur, redeatur uè ad Deum.

Primo omnium admonemur non fugere à Christo. Fugit à Christo, qui propter rem quamuis mundanā timorem vè humanum, iustitiam aut veritatem relinquit. In omni mortali peccato à Christo receditur. Sunt qui propter commodum temporale, sunt item alij qui propter molestiam quamuis vitandam, à Christo recedunt. Et sunt qui tentationi succumbunt, Christum deserentes: quia fatigantur ex pugna & tædio diutius resistendi. Noli tu fatigari fili. Res tua agitur. Christus triginta tribus annis pro te molestias pertulit, & non est pertasus labores & fatigationes, quas pro peccatis tuis perpeffus est: & tu vna tentatione fatigatus deficis? Quin cogitas, quod dum molestiam & laborem breuem vis euitare, incidis in æternum? Secundo discite omnem humanam amicitiam instabilem atque fallacem. Discite nihil confidendum in homine. Atque ideo consolari debemus, si aduersitatis tempore à nobis recedant amici, aut deserant nos ij, in quibus fiduciam, vt in amicis habuimus: quandoquidem Christus ita sustinuit. Non igitur tristari, sed in occasionem hoc nobis conuertere debemus, spei nostræ non ponendæ in hominibus, sed in solo Deo, qui fidelis, constantissimusq; est semper amicus. Tertio, ex fuga discipulorum discere debemus, quam nihil sit in homine, & quam nemo sibi aliquid debeat boni de se promittere, quando hi electi apostoli tam familiares, tamq; bonæ voluntatis, tentatione victi sunt. Nam Petri vbi nunc illa fuit constantia, qua, si omnes etiam scandalizarentur, se non scandalizandum promisit? Ioannes quoque quomodo memor non fuit singularis prærogatiuæ, qua Christus illum dilexit, ne à magistro atque sanguineo fugeret? Aut vbi illa tam ipsius quam Iacobi fratris tunc erat constantia, promittentium se posse bibere calicem, quem erat Christus bibiturus? Thomas quoque quomodo ab illa deuotione refriguit, qua iam pridem discipulos alloquens, dum ad Iudæam redire vellet Dominus, dixerat: *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Et quid reliqui omnes discipuli, dum exijs qui Dominum simul quoq; sequebantur, quidam eorum scandalizati ab Iesu retrocessissent: Christusq; his suis secum manentibus, dixisset interrogans: *Nunquid & vos vultis abire?* quid responderunt? Nonne per os Petri dixerunt omnes: *Domine, ad quem iunius & verba vite æternæ habes.* Et intra non multas horas quid promiserunt Christo? nonne se paratos fore polliciti sunt cum eodem intrare carcerem & commori? Et quid modo? Nemo apprehenderat, nemo etiam eos lædere poterat, virtute verbi prohibentis, quod Christus dixerat, *Sinite vos abire:* solū magistrum impie tractari videntes, ipso relicto, fugiunt omnes. Nemo igitur de se aliquid præsumat, nemo in se confidat, sed timeamus omnes & in Christo solo confidamus. Quarto, apostoli li-

Adolescens
Christo fe-
quens quis
fuerit.

Quis mysti-
cè dicatur
fugere à
Christo.

Amicitia
humana
quam sic in-
stabilis &
fallax.

Nihil boni
habere ho-
minem a se.
Matth. 26.

Marc. 14.

Matth. 20.

Ioan. 11.

Ioan. 6.

Præsumen-
dum nō esse
hominem de